

lute remitteret, sed quamdiu esset pauper, tunc acquisitis divitiis tenetur solvere: prior autem non fuisset remissio, sed suspensio debiti. Voti autem dispensatio est quædam remissio debiti ad Deum, et propter causam præsentem potest fieri absolute, et ita fit per propriam et absolutam dispensationem, ideoque etiamsi cesset causa, non redit debitum, nec retractatur dispensatio. Sic ergo dicendum censeo de privilegio: est enim vel remissio, vel donatio, vel aliquid æquivalens, quæ semel facta, de se permanens est, licet causa, quæ ad illam faciendam principaliter induxit, cesset, et ita cessatio negativa causæ non est sufficiens ut privilegium cesset, quamvis hæc regula aliquam limitationem vel exceptionem recipiat, ut respondendo ad propositam difficultatem melius explicabo.

14. *Ad principalem difficultatem responsio.*

— *Ad rationes contrarias.* — Ad principalem ergo difficultatem, respondeo in ea supponi unum quod nec necessarium nec verum est, scilicet, conservationem privilegii fieri malam, cessante causa concessionis. Aut enim per conservationem intelligitur positiva actio conservans privilegium; et sic falsum est privilegium semel concessum indigere conservatione concedentis, quia in rigore satis est ut non retractetur ab habente potestatem, quia, sive princeps male faciat, sive bene, non retractando, et sive id omittat ex ignorantia, sive ex voluntate, privilegium permanebit sine alia positiva conservatione concedentis, si aliunde pravum non fiat, vel corrumpatur, aut finiatur. Et ita in rigore falsa est major, quia est affirmativa de subjecto non supponente, seu impossibili, quia conservatio non potest fieri illicita, cum non sit actio humana; imo licet speculative res consideretur, talis conservatio privilegii non est permanentia prioris actionis, ut fuit actio, sed est tantum permanentia ipsius effectus, qui fuit jus aliquod vel potestas acquisita, qui effectus semel factus jam non pendet positive in conservari a concedente, sed tantum negative, ut non retractetur, juxta infra dicenda; sic ergo talis conservatio non potest fieri mala. Quod si ipsa perseverantia privilegii vocetur conservatio, etiam illa non potest fieri mala per ordinem ad concedentem, quia non est actio ejus, nec habet novam dimanationem ab illo, et prima quam habuit fuit bona, et jam pertransiit: fuit enim a concessionem præterita, quæ bona fuit, ut supponitur: solum ergo potest illa perseverantia fieri mala, si privi-

legium fiat malum dando licentiam ad actum, vel usum iniquum, quod non fit per solam cessationem negativam causæ, sed necessarium est ut cesset contrarie, sicut explicatum est. Unde probationes quæ in illa ratione adduntur, omnes procedunt ex suppositione falsa, scilicet, quod privilegium duret per actionem positivam, quæ vere sit actio libera concedentis. Et ita non recte applicantur principia juris ibi citata, quia intelligenda sunt de causa a qua pendet effectus in fieri et conservari, quamvis etiam possint alio modo intelligi, ut paulo post dicam.

15. *Objectio.* — Dicit vero aliquis ipsammet priorem actionem concessivam privilegii vocari conservationem ejus: nam in virtute illius permanet, et tantum durat quantum fuit per illam intentum, et non amplius, ut in præcedenti puncto dicebamus. Et ita sensus propositionum in ea difficultate sumptarum, est intentionem concedentis esse ut solum durent privilegium, quamdiu causa ejus duraverit; nam alioqui fieret illicita conservatio, non quæ in re sit distincta a concessione, vel quæ in re duret, illa transacta, sed quæ virtute in illa includitur, et moraliter permanere censetur, quamdiu non retractatur. Tamen licet sit una actio, dicitur magis fieri illicita ut conservatio quam ut concessio, quia concedere tale privilegium pro tempore durantis causæ licitum fuit: concedere autem illud ut duret, etiam cessante causa, esset illicitum. Et ita dicitur conservatio fieri illicita ex illa hypothese, non quia malitiam illam de novo acquirat, quando desinit esse causa, et privilegium conservatur, sed quia a principio habuisset hanc malitiam, si concessio cum tali intentione fieret. Et quia hoc præsumendum non est, inde necessario fit ut concessio talis a principio fuerit, ut ad conservationem privilegii, cessante causa, non sufficiat.

16. *Ostenditur inefficacia rationis factæ.* — Hic autem discursus esset efficax, si probaretur concessionem privilegii futuram fuisse illicitam, nisi daretur cum illa intentione formali vel virtuali, ut non duret nisi quamdiu causa duraverit; nam inde recte sequitur desinere esse, deficiente causa. Et hanc illationem recte etiam probant principia juris adducta, quæ hunc etiam sensum optime habere possunt, et est optimum exemplum in c. *Abbate*, de Verbor. signif., in fine, ibi: *Tamdiu monasterium ipsum hac honoris debeat prærogativa gaudere, donec ibidem viguerit observantia regularis*; ubi clare ponitur causa

illa, seu circumstantia ut necessaria ad conservationem privilegii, et redditur optima causa, in qua explicatur illum terminum designari, ut possit esse licitus usus privilegii, scilicet, *ut idoneæ personæ inveniantur in illo (monasterio) qui possint in Abbatem assumi*. Atque ita illa desitio privilegii fere reducit ad modum amissionis privilegii positum in capite præced.; nam tunc duratio causæ est veluti conditio requisita ut duret privilegium.

17. *Solvitur argumentum.* — *Ratio responsionis.* — Verumtamen illud assumptum non satis probatur, nec probari potest universaliter, ut probant exempla adducta, præcipue de privilegio non solvendi decimas, et de dispensatione absoluta voti castitatis. Ratione etiam declaratur, quia multa illicite fiunt quæ tamen facta licite conservantur; ergo, e contrario, multa licite conservantur in esse, quæ tunc non possent licite de novo fieri; ergo, licet privilegium ex defectu causæ perveniat ad statum in quo non posset licite incipere, poterit licite et honeste permanere: ergo a principio potuit honeste concedi sub intentione absoluta donandi, et ut permaneat, licet præsens causa necessaria ad concessionem cesset, quamdiu usus ejus non fuerit alioqui illicitus. Probatur hæc consequentia; tum quia plus requiritur ad honestandam rei productionem, quam ad honestandam permanentiam rei jam productæ; tum quia qui donat indigenti, non tenetur semper limitare donationem pro tempore indigentiae, etiamsi fortasse non posset licite donare nisi propter indigentiam: ergo idem est cum proportionem in privilegio quod veluti quamdam donationem continet: tum præterea quia decet beneficium principis esse mansurum, etiamsi causa quæ ad benefaciendum movit, non maneat, dummodo beneficium ipsum possit prodesse accipienti sine injustitia, vel iniquitate; quia alioqui non esset largitio, sed quasi mutatio, et inde dubia et scrupuli in subditis orirentur circa intentionem principis, et circa causam quæ illum substantialiter movit, quia sæpe latet, et non facile intelligitur: tum denique, quia, licet causa movens principem sit temporalis et transiens, potest esse sufficiens ad perpetuam largitionem, ut constat, quia sicut apud Deum momentanea tribulatio æternum gloriæ pondus operatur, ita apud principes momentanea victoria parentis comparat filiis perpetuam nobilitatem: et, simili modo, apud Pontificem præsens utilitas vel austeritas religionis potest esse sufficiens causa ut ei privilegia perpetua

concedantur, quæ durent etiamsi cesset illa utilitas vel austeritas, et religio perveniat ad illum statum in quo imprudenter talia privilegia illi concederentur. Ergo, ut concessio privilegii sub ratione quacumque spectata licita sit, non est necesse ut includat illam limitatam intentionem, ut solum duret quamdiu causa duraverit. Eo vel maxime quod si, cessante causa, privilegium fuerit revocabile, successor concedentis judicare poterit an talis revocatio expediat necne; et hoc est sufficiens et suave remedium, ut statim declarabo; ergo ut intentio concedentis sit licita, hoc sufficit, et ita nullum indicium superest præsumendi intentionem magis rigorosam et limitatam, et ideo præsumenda non est, cum præsumptio sit præter absoluta verba concessionis, ut suppono, et præter generales regulas de principum beneficiis conservandis et ampliandis, quia illa limitatio intentionis est valde odiosa et scrupulosa; non est ergo admittenda, nisi ubi evidenter fuerit necessaria.

18. *Ad confirmationem responsionis.* — *Limitatio prædictæ doctrine.* — *Ratio limitationis.* — Ad confirmationem igitur illius difficultatis, consequenter respondeo etiam in dispensationibus non esse generaliter veram illam regulam, ut mihi probat argumentum ex voto assumptum. Propter exemplum vero ibi adductum de dispensatione privilegii in jejuniis ob necessitatem, addo in dispensationibus habentibus tractum successivum habere nostram doctrinam exceptionem aliquam: nam in illo casu fateor dispensationem non extendi ultra tempus pro quo durat necessitas. Ratio vero clara est, quia sola necessitas in illo casu talis est, ut non possit justificare dispensationem, nisi adæquate (ut sic dicam) et commensurate ad durationem suam. Nam debilitas hodierna nihil confert ad excusationem crastinam, si de futuro nullo modo duratura est, quod, ex qualitate materiæ et conditione causæ et dispensationis, est adeo notum, ut fere aperte statim appareat talis intentio dispensantis. Hoc autem non ita est in omnibus causis præsentaneis dispensationum, et multo minus privilegiorum, et ideo non potest inde sumi generalis regula, sed potius contraria regula statuenda est, propter cessationem negativam causæ non statim desinere privilegium, nisi contrarium moraliter appareat ex conditione causæ, et imperfectione ejus comparatæ ad privilegium, vel dispensationem in illo inclusam. Quod si aliquando ex parte causæ res fuerit dubia, aliæ circumstantiæ



considerandæ sunt, et si materia non fuerit nimis odiosa, in favorem potius est inclinandum; ut, in exemplo illo de privilegio anticipandi Horarum recitationem propter muneris occupationem, dubium esse potest an actualis necessitas occupationis, vel munus ipsum trahens regulariter talem occupationem, dederit causam privilegio; et in tali dubio, hoc posteriori modo interpretandum est, ita ut non oporteat singulis diebus attendere ad actualem necessitatem, ut licitus sit privilegii usus, et sic de aliis.

19. *Ad aliam partem respondetur.*—*Privilegium non in omnibus æquiparandum actuali dispensationi.*—Ad id autem quod additur de æquivocatione commissa in declaratione de duplici cessatione causæ, negative vel contrarie, negamus assumptum; ita enim illa distinctione utimur, sicut illa communiter utuntur auctores, ut supra ostensum est tractando similem quæstionem de cessatione legis, cessante causa. Sensus ergo est, talem requiri mutationem in causa, quæ reddat iniquum privilegium ex parte actus ad quem datum est, et consequenter esse necessarium ut actus fiat malus, non tantum consequenter ex cessatione privilegii, sed aliunde, ita ut propter illius malitiam, seu novam moralem conditionem, privilegium factum sit pravum, vel nocivum: et in hoc sensu procedunt omnia quæ diximus cum rationibus factis. Nec contra illum procedit exemplum de dispensatione in jejuniis, quia non in omnibus dispensationibus id locum habet, sed solum ubi materia vel causa id postulat, ut dixi, et patet a contrario in exemplo de dispensatione in irregularitate, illegitimatione, etc., non solum hoc invenitur, ut non cesset, cessante causa, verum etiam nec retractari possit a dispensante, quia dispensatio abstulit impedimentum, vel obligationem, quæ a solo dispensante iterum fieri non potest, propter solam negationem causæ; talis enim est obligatio voti, vel tale impedimentum est irregularitas, etc.; unde etiam responderi potest non in omnibus æquiparandum esse privilegium cum actuali dispensatione, quæ non est proprie privilegium, ut supra dixi, quia privilegium est per modum cujusdam juris et potentie; dispensatio autem per modum actionis, quæ non censetur fieri tota simul, quando effectus est successivus, et causa dispensationis est etiam successiva, quæ non proportionatur actioni, nisi quatenus cum illa

extenditur et durat, extra hunc vero casum et similes durare potest effectus dispensationis plus quam ejus causa, et idem contingit regulariter in privilegio, ut dixi.

20. *Ad instantiam respondetur.*—*Lex quomodo sit prava.*—Denique ad instantiam sumptam ex æquiparatione legis cum privilegio, dico posse sustineri æquiparationem, si privilegium consideretur sub ratione legis obligantis; secus vero esse si spectetur in ratione privilegii concedentis favorem: nam sub ea ratione non est propria lex, et ideo non oportet, proportionem in omnibus servare ad legem, et præsertim in eo quod in argumento intenditur. Declaratur, quia lex inducit obligationem, non autem privilegium per se, et ut favorem præbet tali personæ. Unde fit ut lex communis, cessante negative et in universali fine ejus, cesset, quia facta est inutilis communitati, et consequenter desinit esse lex, quia amittit proprietatem quæ est de essentia legis; unde recte etiam dici potest eo ipso fieri pravam in ratione legis, quia imponere onus inutile communitati iniquum esset; ac denique sub ea ratione non male dici posset talis cessatio causæ non tantum negativa, sed etiam contraria legi, quia tollit justitiam ejus, sicut in actu indifferente ex objecto, et bono ex fine honesto, cessatio vel carentia talis finis dici potest contraria tali actui sub ratione meriti aut virtutis. At privilegium de se non est onus, sed favor privilegiarii, et licet ratio concedentis cesset seu transeat, non statim fit inutile privilegium ei cui concessum est, nec etiam onerosum, et ideo ex hac parte non procedit in illo dicta ratio, ut cessare debeat: et consequenter etiam, ut habet rationem legis respectu aliorum, cessat utilitas ejus, nec proprie tunc cessat finis ejus sub ratione legis, quia necesse est ut, durante favore privilegiarii et utilitate ejus, duret in aliis obligatio non violandi jus ejus. Quod si contingat non solum cessare finem privilegii, sed etiam ipsum fieri omnino inutilem, tunc probabile est amitti privilegium, tam in ratione legis quam in ratione privilegii, et quoad hoc servari aliquam proportionem inter legem communem et privilegium, etiam ut privilegium est; semper tamen est diversitas in modo et ratione; nam lex facta inutilis fit nulla, et facto et jure, quia fit injusta: privilegium autem inutile fit nullum, non quia fit injustum, sed quia vel fit moraliter impossibilis usus ejus, vel non appetibilis; et ita est nullum facto ipso potius quam

jure. Item hæc nullitas non provenit in tali privilegio ex solo defectu causæ finalis, sed ex defectu materiæ, quæ ex aliis causis vel circumstantiis facta est inutilis; nam sola cessatio finis concedentis, ad tantam mutationem non sufficeret, regulariter loquendo, ut dixi.

21. *Privilegium cessat, cessante causa finali dupliciter.*—*Dicta in hoc puncto de cessatione ipso facto sunt intelligenda.*—Ex quibus omnibus adverti potest, quarto, dupliciter posse intelligi cessare privilegium, cessante causa finali, scilicet, ipso facto, vel media actione hominis, quod multum interest. Nam priori modo privilegium fit statim nullum, posteriori autem modo fit tantum retractabile, quod longe diversum est, ut constat ex supra dictis de irratione legum, quæ hic cum proportionem locum habent. Igitur omnia quæ in hoc puncto diximus intelligenda sunt de amissione ipso facto; nam hæc est propria cessatio privilegii, seu desinitio ab intrinseco, de qua nunc tractamus. Unde in eodem sensu dictum est, cessante causa negative tantum, non statim cessare, id est, annullari, et irritum fieri ipso facto privilegium, et hoc etiam suadent rationes factæ. Cum hoc tamen stat, ut privilegium fiat irritabile per cessationem tantum negativam causæ, quia ex illa sumi potest justa ratio propter quam privilegium revocetur. Et de hac irratione loquuntur multa jura allegata; et declarat Dec. in l. *In ambiguis*, 85, § *Non est novum*, ff. de Reg. juris, num. 4. Favent etiam huic doctrinæ omnes qui dicunt, post acquisitum jus perfecte et consummate, non cessare gratiam vel favorem principis etiamsi causa cesset, ut tradunt Panorm. in c. *Post translationem*, de Renunt., n. 17; Tiraq. et Menoch., supra, cum aliis quos referunt; et Gutier., l. 1 Canoniar. quæst., cap. 15, n. 22, qui loquuntur de dispensatione; est autem idem de privilegio, per quod jam est jus acquisitum; nisi enim revocetur, non amittitur, propter cessationem solam causæ, nisi talis sit quæ usum ejus reddat illicitum.

22. *Cessatio causæ etiam contraria debet esse perpetua.*—Quinto, adverte, ut privilegium extinguatur dicto modo, necessarium esse ut cessatio causæ etiam contraria sit perpetua; nam si solum sit ad tempus, non extinguetur privilegium, sed solum suspendetur ejus effectus. Ratio est, quia tunc usus privilegii non fit simpliciter et perpetuo pravus, sed ad tempus; ergo nec privilegium in

se fit simpliciter iniquum, cum pro alio tempore possit habere honestum usum; ergo nec simpliciter irritatur, sed ad summum pro tunc suspenditur. Confirmatur, quia privilegium, verbi gratia, immunitatis ab oneribus, vel muneribus, seu contributionibus, tempore necessitatis non valet, nec justus erit illius usus; cum necessitas careat lege; nedum privilegium; et tamen non propterea extinguatur, licet pro eo tempore usus ejus suspendatur, ut supra libro quinto late diximus: ergo similiter, etc. Item indultum pontificium ad dispensandum, deficiente causa ante illius executionem, suspenditur, ne liceat usus ejus; non tamen ita extinguatur quin, redeunte causa, tempore habili valeat, et licitus sit usus ejus, ut recte tradit Sancius, libro octavo, disput. 30, n. 16; ergo similiter, etc. Denique lex cujus obligatio cessat, cessante causa, non statim extinguatur, sed suspenditur: nam, redeunte causa, iterum obligat, ut late Mencha., l. 1 Controvers. illustr., c. 46, n. 3, et lib. 1 de Success., in Præfat., a n. 67; ergo, etc.

23. *Mutationes aliquæ, ex parte materiæ, ex dictis declarantur.*—Sexto et ultimo, in hoc puncto adverte, quod supra dixi, in hoc et præcedenti modo amittendi privilegium includi desitiones vel mutationes quæ in privilegio resultare possunt ex mutatione materiæ circa quam versantur: nulla enim materiæ mutatio extinguit privilegium ipso facto, nisi quæ usum ejus reddit vel iniquum, vel inutilem, vel de quo aliunde constare possit, non cecidisse sub intentionem legislatoris. Quoties autem per mutationem materiæ usus fit iniquus, vel inutilis, cessat finis privilegii maxime intrinsecus, qui esse debet usus aliquis utilis, et honestus. Si autem, extra hos casus, contigerit usum privilegii esse contra vel extra intentionem concedentis (quod raro accidit, ut dixi), tunc necesse est ut id prove-niat ex aliqua limitatione addita in forma privilegii, vel de qua sufficienter constet ex tenore ejus; et tunc cessatio illa pertinebit ad defectum formæ, ut ex dictis de primo puncto constat; et ita solum superest dicendum de defectu ex parte efficientis.

## CAPUT XXXI.

UTRUM PRIVILEGIUM EXPIRET PER MORTEM SOLAM CONCEDENTIS.

1. *Tertius modus amissionis privilegii ex morte concedentis.*—*Privilegium rite compara-*